DE

MONSTRO HUMANO DISTOMO.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI
CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA

AD SUMMOS

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE ADIPISCENDOS

UNA CUM THESIBUS

PUPLICE DEFENDET

DIE VII. MAII A. D. MDCCCLXVI HORA XII.

AUCTOR

IOANNES BUCH

SAXO - BORUSSUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCEPERUNT:

M. SCHEDE, CAND. MED.

I. HENNERICI, CAND. MED.

HALIS,

TYPIS ORPHANOTROPHEI.

IACOBO TRAEGER

AVUNCULO DILECTISSIMO, VIRO HUMANISSIMO

ALFREDO THIEMICH

AMICO CARISSIMO, VIRO SPECTATISSIMO

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

De monstro humano distomo.

Anno MDCCCLXIII in hac urbe sub curatione policlinica mulier quaedam nomine L. partu edidit monstrum duplex, quod raritate formae omnium medicorum in sese attentionem merito convertere posse mihi videtur.

Hunc casum perquam memorabilem Ill. Olshausen ea, qua uti solet humanitate tractandum ac publicandum mihi permisit, quam ob rem non facere possum, quin hoc primo loco animi gratissimi, quo eius nomen per omnem vitam pie colendum mihi est, publica dem testimonia. Idem vir praestantissimus et consilio et auxilio ubique me benigne adiuvit, itaque magna cum causa eum hoc prosequor voto, ut efficacissimus eius labor, ab omnibus discipulis uno ore gratis laudibus elatus, per longum etiam tempus artem obstetriciam promoveat ipsique pariter gaudia pariat ac nobis utilitatem. Pares gratias ago Ill. Welker, qui, quamvis multiplicibus negotiis occupatus, mihi de dubiis quaerenti summa comitate semper

praesto fuit. His viris, doctrinae nostrae decoribus, id me debere confiteor, quod ab iis incitatus sum ad studia, quae digna sunt, quibus vita hominis literis dediti omnis dedicetur.

Descriptio.

Monstrum, de quo sermo est, iam primum accurate describendum, ad quod melius illustrandum ac sub oculos ponendum duae icenes, altera a fronte, altera a latere excepta, a me delineatae sunt, duplex est et sicuti pleraque feminini est sexus. Pondus habet librarum sex.

Magnitudo eius et universalis evolutio sunt quales solent esse in maturis foetibus. Ipsum partum licet praetermittere, quum monstrositas mechanismo nullum impedimentum opposuerit. Foetum emortuum esse iam ante partum cognitum est; interna exploratione pars forma carens percipiebatur, cuius natura in obscuro manebat. Mater septimo die septicaemia exstincta est.

Foetus obiter adspectus eximiam similitudinem offert nanorum illorum subterraneorum, quales in libris populares mythos germanicos continentibus permulti depinguntur.

Truncus pariter bene alitus ac formatus teneris languinibus obsitus est, supra quem caput geminis oribus ringitur. Iam hoc aliquanto diligentius consideremus.

Cava oculorum, quod attinet ad externam peripheriam ossium ea conformantium, mirum quantum sunt similia cranio felino, in quo frons pariter retrorsum recedit. Supercilia desunt, palpebrae clausae ciliis carentes quasi arcum ad nasum versus deorsum convexum efficiunt, unde interni oculorum anguli manifesto profundius siti sunt quam externi. Bulbi, sicuti fieri solet in plerisque foetibus ita difformibus, valde prominent. Nasus dodrantem pollicis latus graviter est depressus in simam superficiem, nescio utrum natura an eo modo quo monstrum asservatur. Tres nares inter se aequaliter distantes in respondentes meatus perducunt. Aures introrsum retractae canino more deorsum dependent, exiguae sunt et compressae. Supra pili stant tres vel quinque lineas longi. Infra nasum utrinque tria centimetra distantia duo sunt ora. Labia inferiora minuscula sunt et incrassata, superiora valde distracta ad angulos nasales: sed utraque bene formata. Specillo ab uno foramine ad alterum penetrari poterat. Sub utroque ore elegans mentum apparet. Praecipue autem sub oculos cadit tertium mentum, quod in linea mediana quatuor centimetra longum, tria latum per pectus prominet. Id tangenti videtur admodum adiposum, et in portione superiore profundam lacunulam habet. Praeterea infans hemicaphalica est et penitus hydrorrhachitica.

Iam autem scapello anatomico apprehenso videamus, quae sub cute et musculis simus reperturi. Primum

curiosi sumus quid sit in inferiore dimidio faciei, inprimis, quousque duplicitas in apparatu digestionis porrigatur.

Ad explanandam rem icones III. et IV. in tab. II. additae sunt. Ossium compages externo adspectui penitus respondet. Ossa nasi sunt duo centimetra lata, inter se coalita, complures gibbos ostendunt. Tres meatus his concluduntur. Pariter distractus ac labium superius processus alveolaris maxillae superioris apparet. Pars incisiva non interrupta est. In alveolis germina dentium numero integra extant. Palatum durum deest, et stylus immissus continuo in cavum nasi penetrat; unde apparet rictum lupinum nobis obversari. Maxillae superiores proprio ponticulo multis asserculis prominentibus instructo, unum centimetrum lato, sesquicentimetrum longo diremtae sunt, qui quidem deorsum in cuspidem excurrit et foramine duas lineas hiante terebratus est, per quod varia vasa et nervi egrediuntur. Uti superior, ita inferior quoque maxilla duplex est; in media regione, qua ambae sunt contiguae, ligamentosis tantummodo massis iunctae sunt. Hoc loco in ossibus apparet cornu maius superius et cornu minus inferius; quibus quum solis sint contiguae, exiguum interstitium velut rimam inter se habent. Hinc oriundi varii musculorum fasciculi perpendiculari directione adscendunt ad maxillam superiorem, ubi pone cuspidem ponticuli illius, de quo supra mentio facta est, adhaerescunt. (Fig. III.) Processus coronoideus et condyloideus prorsum normales sunt. Eo loco, quo maxilla inferior normalis angulum habet, utroque in latere protuberantia sive spina menti externa est admodum evoluta cum foveis musculi levatoris

menti emphysi respondentibus in dextra et in simistra parte. Ex cavo oris in anteriore regione disiuncto lingua bene formata eminet. Dissecto dissepimento apparet unam esse utriusque linguae radicem. Ad posticum arcum palati duplices uvulae etiam exstant, sed iam hinc canalis digestionis simplex decurrit. Et trachea et oesophagus iustum situm obtinent; in osse linguae nihil est abnorme.

Quia formatio est hemicephalica, ossa capsulam cerebralem constituentia vel imperfecta sunt vel omnino desunt. Super bulbos tenuis arcus veluti fornix tenditur; nexus eorum cum organo centrali per nervum opticum nullus exstat; is nervus enim plane deest, et foramen opticum copiosa adipe est repletum. Pro osse frontali et cribriformi e massa cerebri in directione lineae sagittalis duo gibbi oblongi, cartilaginei eminent, radicantes usque in profundum cavi nasi. Ossium parietalium rudimenta exstant, os occipitis deest.

Basis cranii nuda est obtecta massa molli, quae tactui similis substantia e cerebri videtur, aliquantum lobata, solida membrana obducta, quae e marginibus continuo nexu in cutem transit. In basi cavum anterius conspicitur, sella turcica manifesto prosilit, alae ossis cuneiformis et maiores et minores in ea sunt debilitatae.

Ossa petrosa nihil singulare praebent; processus condyloidei ossis occipitis valde prominent. Praecipua foramina transmittendis vasis et nervis exstant.

De columna vertebrarum, si rem subtiliter consideramus, solus exstat anticus paries; processus laterales

apparent depressi, complanati et late ad latera repulsi. Praeterea vertebrarum lumbalium lordosis extat.

Medullae spinalis vestigia tantummodo apparent sub forma duorum funiculorum valde tenerorum.

Interna viscera corporis forma et situ utuntur normalibus, glandulae suprarenales singulari sunt exiguitate.

Expositio.

Quanto longius ad primordia doctrinae nostrae medicae regredimur, tanto magis fabulosis tenebris monstrorum historiam obvolutam videmus. Veterum Graecorum et Romanorum medici non multum attentionis in ea convertisse videntur et raram tantum de iis mentionem fecerunt. Ex decimo quinto demum seculo, quum anatomia efflorescere coepit, in nonnullis chronicorum libris atque in miraculorum collectionibus de monstris relationes habemus, sed quae omni fide carentes testimonio sunt, quantum illud tempus ab omni veraci rerum naturalium inquisitione remotum, quantum hominum animi tum superstitionibus coecisque phantasiae formidinibus offuscati fuerint. Ne eminentes quidem viri, velut Paré et Schenk, facere potuerunt, quin tenebras in aequales suos dominantes effugerent, imo res maxime miraculosas narrarent et depingerent. In octavo decimo demum seculo plures e medicorum numero eam rem secundum naturae et rationis

leges considerare coeperunt, atque Haller praecipue is fuit, qui eximie de veritatis proventu meruit, et cuius ad opus „Operum anatomici argumenti minorum Tomus tertius" etiam nunc saepius recurritur. In orbitas prorsum novas inducta est monstrorum consideratio iis, quae novissimo tempore in embryologia explorata sunt, cum, quomodo singulae formae nascerentur inventum esset. C. F. Wolff, I. F. Meckel, G. St. Hilaire insigne habent meritum, quod primi ad hunc finem elaboraverunt; atque quanto plus in hac quoque ditione methodus inquirendi historiae leges stricte sequens convaluit, tanto maiores in cognoscanda vera rei natura facti sunt progressus. Nostro decennio in primis Valentin, Leukart, Bernh. Schultze, Davanin nominandi sunt inter eos viros, quorum laboribus doctrina de prima origine paene consummata est.

Ab hoc brevi respectu in historiam monstrorum ad distomum supra descriptum revertens expositionem multiplicium difformitatum mirabilium dare conabor. Primum eas qualitates, quae ei cum aliis sunt communes, consideremus, deinde eas, quae eius sunt propriae.

Hodie omnibus notum est, longe maiorem numerum monstrorum duplicium feminini sexus esse. Iam Haller hac de re monuit, et ea experientia usque novis exemplis comprobata est. Inter quadraginta duo monstra duplicia, quae ab illo viro in „Opusculis anatomicis. Goetting." composita videmus, triginta sunt feminini sexus, novem masculi. Meckel, cuius opus „de duplicitate monstrosa" mihi etiam ad manus est, inter octoginta monstra duplicia

sexaginta feminina, viginti mascula numeravit. Förster in libro suo proportionem feminini sexus ad masculum constituit ita, ut illi duplum numerum tribuat, atque exclusa monstrositate duplici parasitica triplum. Quae res pariter est ipsa mirabilis atque adhuc obscura manet eius causa.

Res aeque frequenter observata est, quod cum difformitate capitis imperfecta conformatio cavorum cranii et columnae vertebrarum sociata est. Haec magna ex parte ex morboso processu canalis medullaris et involucrorum eam circumdantium derivanda est. Sed haec explicatio haudquaquam omnibus casibus sufficit, imo in quibusdam nihil reliquum est, nisi ut statuatur, ad eas partes conformandas iam a rudimentis materiam dadam non suffecisse.

Nostrum casum certo constituere possumus causam habuisse in hydrope canalis medullaris eiusque involucrorum, qui tempore admodum maturo vitae embryonalis exortus sit, et quo evolutio illarum partium impedita, vel etiam eaedem, quatenus iam formatae fuerint, destructione rursum absumtae sint. Aquae collectio tam copiosa fuit, ut causa exstiterit diffissionis et destructionis parietis postici, retenti incrementi cerebri et medullae spinalis, quae quidem mala fuerunt tam absoluta, quam haud facile in alio ullo exemplo demonstrari potuerint.

Förster tres species hydropis canalis medullaris secundum diversos status inde procedentes recenset ita dicens: 1) Permanens congestio aquae in cavis cerebralibus et in canali medullari vel in tunicis oritur; canalis medullaris et eius cavum osseum clausa manent: Hydro-

cephalus, Hydorrhachis. 2) Permanens congestio aquae distinctis locis canalis medullaris oritur, iis locis fit diffissio cavi ossei et prolapsus hydropici canalis medullaris vel tunicarum eius hydropicarum: Hydrencephalocele, Hydromyelocele. 3) Primaria aquae congestio tam copiosa est, ut causa exsistat diffissionis cavi ossei et involucrorum canalis medullaris, et destructionis plus minus absolutae medullae cerebralis et spinalis: Cranioschisis, Rhachischisis. Imae speciei inter maxime conspicua exempla noster foetus habendus erit.

Ubi destructio est tam enormis, nullam esse posse vitalitatem per se apparet. Ossium mutatio in omnibus eius generis foetibus similem habet naturam. Desunt normalia cranii integumenta, basis eius est abbreviata, at portiones ossium confinium hydrope quasi depressa et complanatae sunt. Inter os cuneiforme et occipitis manifesta est infractio. Solet etiam ut propria gravis incurvatio vertebrarum collarium et superiorum pectoralium cum prominentia ovis et maxillarum inde pendente memorari. In nostro casu ea res non observatur. At vero lordosis in regione lumbali extat. Eum Bardeleben cum spina bifida a sese saepe observatam esse ait, causamque eius ponit in contractura posteriorum musculorum trunci ex centralibus turbationibus orta, vel in pressu liquoris sacco contenti.

Etiam in depictione degeneratorum organorum centralium omnes autores concordant.

Basis cranii vel hirta est et vilosa, massa cerebro simili obducta cum appendicibus irregularibus, exiguis,

membranaceis vel marsupialibus. Tum universum membrana fibrosa obductum est, quae plerumque in cutem transit, nonnunquam tamen in utriusque confinibus eam speciem praebet, ut si recens scissura facta sit. Vel basis craüi tumore maiore vel minore tecta est, ex tela coniunctiva at vasis sanguiferis contexto atque interdum spatia cystoidea serum continentia intra se includente. Hic quoque tum quaedam asperitas superficiei apparet. Transitus inter utrumque genus obvenire per se facile liquet. Medulla spinalis, ubi fissura est spatiosior, plerumque prorsum deest; interdum duo vel tres teneri funiculi eius vestigia indicant.

Cum formatione hemicephalica deinde etiam omnia cetera phaenomena cohaerent, in quibus causa fuit, ut vulgus monstro nomen capitis felini inderet. In his sunt oculi prominuli hydropici, in quos iam Sömmering attentionem direxit, frons recedens, rudimenta ossis verticis et occipitis, aures compressae.

Complicationes pariter frequentes sunt labia leporina et rictus lupini. Plerisque in casibus ambo sunt iuncta, quae fissurarum formationes causam in eo habent, quod imperfecta est iunctura processuum maxillae superioris et palati primi arcus branchialis cum antica extremitate processus frontalis, osse intermaxillari et dissepimento narium, cuius defectus partes molles aeque sunt participes. Nonnunquam palatum solum fissura affectum est, et ita est nostro in casu. Labium superius acerrime quidem ad nasum versus distractum est, sed pro diremtione portionis superioris ea difformitas haberi non potest, quia in maxilla

superiore nullus defectus reperitur. Commeatus inter cavum oris et narium exstat. Ceterum rictus lupinus, quum partes laterales processum alveolarium inter se admodum appropinquatae essent, in nostro monstro non continuo apparuit, sed remotis demum partibus mollibus in conspectum venit.

Adipis quaedam ubertas plerorumque monstrorum propria est; pariter mollis lanuginis per totum corpus proventus.

Res in hemicephalis iam mature observata etiam parvitas capsularum renalium est. Iam Sömmering in plurium monstrorum descriptionibus de hanc observatione monuit et ad Hewsonii autoritatem remonstravit his verbis: Will. Cooper refert in „*Philosophical Transactions*" vol. LXV: „*Mr. Hewson sometimes before his death seemed to be confirmed in the opinion that whenever childern are born with little or no Brain, the Capsulae renales are allways very much diminished. This is certainly the case in one or two allmost brainless childern, which I have by me, and when renal capsulae he examined, with a view of being further satisfied upon this subject.*

Miror quod Förster in libro suo de hac re non admonuit.

Iam venimus ad eas qualitates, quas nostrum monstrum peculiares habet.

Communis opinio est, duplicitatem in linea mediana faciei initium capere atque inde ad duarum perfectarum facierum formationem progredi; Bernh. Schultze in trac-

tatu de anomala duplicitate organorum axialium statuit, omnem duplicitatem anticam initium capere e duplicitate maxillae inferioris. Eius rei noster casus manifestum dat exemplum. Mentum triplex, os cum linguis duplex, nasus cum tribus naribus ad simplicem transiens: quasi conicus transitus ab anomolo ad normale. De genesi harum formarum ex arcubus branchialibus infra disseram.

Diprosopi eximie rari sunt, et secundum tabulas quas Förster composuit, inter quingenta monstra duplicia non plus novem et viginti sunt diprosopi; inter hos fuerunt sex masculi sexus, sedecim feminini; de septem indicium sexus desideratum est. Sunt diprosopi, porro exponitur, ob plerumque vitiosam structuram cerebri et cavi faucium non vitales, quamquam totum reliquum corpus plerumque normali utitur structura; persaepe vitalitas anencephalia plerumque simul exstante tollitur. Deinde depingit diprosopos diophthalmos, et „duplicitas, inquit, tam exigua est, ut extrorsum nihil conspiciatur nisi faciei dilatatio, nulla vero oculorum, nasorum, aurium multiplicatio; at accuratior inquisitio domonstrat duplicitatem cavi oris cum duplicibus seriebus dentalibus, duplicibus linguis in postica regione confluentibus, duplicibus palatis, sed simplicibus faucibus.“ Huc tum etiam accedit duplicitas cavi narium plus minus absoluta; cranium simplex est.

In Ottonis „Descriptione monstrorum sexcentorum“ nr. 354 et 355. duo monstra obveniunt illi descriptioni respondentia et nostro affinia. Ambo sunt bene evoluta et tantummodo hemicephalia et oris duplicitate graviter deformia. Notabile est, quod in uno tumor inter ora

prominet, qui nostro mento intermedio respondere videtur. Otto „Reparantur autem, inquit, oris orificia inter se magno tumore elastico et cute obducto, qui superne labiis superioribus adhaeret. Totus tumor e tela cellulosa constipata constat." Etiam in Nordtii „Speciali anatomia pathologica de monstro quodam" consimilis casus descriptus esse perhibetur; sed hoc opus ego nusquam potui reperire. Gurlt monocranum monognathum cum duplicibus maxillis inferioribus et lingua bifida depingit, et monocranum bimandibularem cum duobus nasis et duplicibus maxillis superioribus. Apud hunc simul in cranii antica parte duplici quatuor hemisphaeria fuerunt.

Duplicitas linguae, cuius Meckel exempla quinque memorat, hic momentum non habet. In iis casibus ubique altera lingua supra alteram sita fuit; antica parte diremtae fuerunt, postica etiam sulco disiunctae; tum superior, tum inferior fuit minor. Non plus momenti est in diffissione linguae per lineam medianam, qua ab extremitate retrorsum in duo dimidia lateralia dirimitur.

De genesi monstrorum duplicium.

Non est mirum, ubi monstra visa fuerunt, quaestionem de eorum origine exortam esse, et responsa ad eam quaestionem data tanto longius a vero aberravisse, quanto latius phantasiae imaginationes in hominum iudicia dominabantur. Silentio igitur praetermitto veterrimi temporis opiniones, halucinationes de poena divina, opere diabolico, de noxa ex obtuitu rerum gravidis de improviso obvenientium oriente, de mixtione praeter naturae legem inter homines et bestias facta, de aliis eius generis. Initio huius saeculi monstrorum duplicium origo inde derivabatur, quod statueretur, duos foetus matris in utero aliquo loco continuo contactu uterentur atque exinde inter se coalescerent. Eam opiniorem Meckel et Bischof probe confutarunt, ut hodie paucos tantum invenire potueris, qui eam profiteri audeant. Iure monitum est, duobus corporibus fortuito inter se contiguis vix ullo pacto symmetria tam absoluta coniungi posse partes inter sese respondentes, truncos vaso-

rum et nervorum, meatus glandularum; in tanta frequentia partuum geminorum etiam monstra duplicia multo frequentius obventura, bestias quinos ac plures pullos ferentes etiam monstra quincuplicia generaturas esse. E contrario multiplices experientiae obstetriciae docuerunt, si uterus cum evolutione geminorum foetuum non aequaliter procedat, conveni enterextendi non possit, tum alterum ovum increscere, alterum comprimi et ab ulteriore evolutione retineri. Id aut ante partum alterius aut post solum et prorsum complanatum expellitur, non ulla coalitione cum altero facta.

Bernh. Schultze concedit, in avium ovis una crusta duos vitellos continentibus fieri posse, ut hi confluant et inter se cohaerescant. Gallinam quae saepius ova binos vitellos habentia peperit, expertus est plures pullos quadrupedes, quadrialatos, coalitis ventribus incubatione edidisse. G. Hanon eiusdem generis casus communicavit. Verum hinc nequaquam licet statuere in mammalibus pari modo duplicia monstra generari posse. Cuticula vitellum includens in avibus est admodum subtilis et tenella, chorion contra solidum pressui resistere potest. Praeterea mammalium ova in utero ab initio amplo non tanto pressui externo exposita sunt, quanto duo avium vitelli eadem crusta inclusi.

Nascuntur igitur monstra duplicia ex singulis tantum ovis. Quo autem modo primordia duplicitatis conflentur autorum sententia longe diversae sunt. Sunt qui ea derivent ex fissione germinis vel embryonis, quam sententiam imprimis Valentin sustinet, qui artificiali fis-

sione embryonis facta monstri duplicis autor exstitit (Val. Repert. vol. II. p. 169). Inter alios Leukart existimavit, propaginum formationem ad similitudinem propagationis inferiorum bestiolarum, velut Diplozoi paradoxi, etiam in embryone locum habere atque inde monstrum duplex conformari posse. (Leuk. de monstris p. 74). Theoria fissionum quodam modo valeto in extremitatum evolutione, earum igitur partium, quae liberae in spatium tendunt, materiae formativae abundantia; sed certe nihil valebit in evolutionem partis centralis intra continuam cuticulam germinalem. Ita haud dubie etiam par externorum cotyledonum germinalium laesione afficeretur, unde ulterior evolutio turbationem per pessura foret. Etiam propaginum formatio quibusdam tantum in casibus locum habere posse videtur.

Alii autores causam duplicitatis monstrosae in primitiva structura ovi posuerunt; ita quidam duplicitatem ex reperto ovo duos vitellos habente deduxerunt; Simpson idem ex praesentia duarum macularum vel duarum cellularum germinalium facere posse sibi visus est. Bernh. Schultze in tractatu „*über anomale Duplicität der Axenorgane* (*Virchow's Archiv* vol. 7) atque in oratione de genesi monstrorum duplicium habita (*Monatschrift für Geburtskunde*) duplicitatem ex solo influxu citatricularum germinalium, utpote principali partium ovum constituentium, derivat. Circum duplices cicatriculas tum nasci duplices, sed confluentes halones et canaliculos primitivos statuitur; et Schultze modo admodum ingenioso diversarum specierum genesin ex ea theoria sibi construit. Iure ad-

monet, quod cicatricula sit plasma omnium ovorum fecundationis capacium in regno animali commune summique momenti in processu sulcationis, ipsum centrum formationis embryonis serius sese evolventi. Vitellos duplices cicatriculas habentes iam *Fabricius ab Apuapendente* observavit, et a serioribus exploratoribus eius observatio comprobata est. Meckel in femina, quae plura monstra partubus edidit, in ova ovarii inquisivit et duplices cicatriculas reperit. Sane quidem hic duo ova uno folliculo Graafiano inclusa esse arbitratus eam rem pro certo documento suae theoriae de confusione habet. Quaestioni, quo pacto duae cicatriculae in unum ovum perveniant, Schultze ita sufficere posse visus est. Cicatricula in omnibus animalibus primum omnium plasmatum provenit. Serius demum in ovario vel in meatibus eductoriis massa vitellina circumdatur. In animalibus vertebralibus cellularum homogenearum, rudimentum ovarii embryonalis constituentium aliae in cellulas germinales effinguntur, dum aliae inter illas sitae in telam coniunctivam interstitialem evolvuntur. Spatium quod est circum cellulam germinalem augetur in folliculum Graafianum, circum cellulam materia vitellina deponitur, et circum hanc denique tenera cuticula vitellina et cetera plasmata secundaria nascuntur. Iam si e numero cellularum primitivarum duae vicinae in germinales transformatur, vel omnino, si inter duas earum tela interstitialis non perficitur, ambae in uno folliculo Graafiano sitae erunt, ubi in duo ova adhuc formari possunt. Sin vero satis propinquae inter sese sunt, una massa vitellina ambae circumdabuntur et una cuticula et uno oolemmate in unum solum ovum coniun-

gentur, in quo serius, ubi foecundatum fuerit, duo centra formationis existent, unde monstrum duplex originem habebit.

Magni momenti in formandis monstris duplicibus situs cicatricularum est, et magno foret lucro, si in cicatricula certus axis, ex quo axis corporis foetalis originem haberet et qui parallelus esset axi embryonali ovi, demonstrari posset. Axis foetus canali medullari datus est inde a capite usque ad extremam caudam. Duplicitas iam eo magis erit perfecta, quo magis absolute fuerit praeformatus duplex axis; simplicior erit ubi axis ex parte tantum duplex fuerit praeformatus, si in alterutra extremitate eius forma fuerit bifida. Per hunc modum intuitionis simul monstra duplicia in classes plane distinctas redacta sunt. Digitus sextus monstrositas ex duplicitate est, monstrositas ex duplicitate sunt etiam gemini Siamenses. Geofroy vitia formationis minus conspicua appellavit *hémitérie* et a monstrositatibus distinxit.

Tum diu disputatum est, utrum cunctis monstrositatibus duplicibus una continua series efficiatur, an duplicatio singularum partium membrorum a duplicatione universorum dimidiorum corporis dirimenda sit. Quodsi ea, quae modo exposita sunt, pro regula habentur, in solorum organorum axialium duplicitate decisio est: monstra duplicia ea sunt, quorum generis causam habet in duplicitate aut partiali aut totali primi rudimenti embryonalis in axe conflati.

Duplicatio principia habet in axe longitudinali tam exigua, ut mutationes in linea mediana foetus exortae

non nisi disquisitione admodum subtili cognoscantur; deinde usqne eo progreditur, ut in individuo superior aut inferior extremitas trunci in directione longitudinali symmetrice duplicata appareat; primo truncum solum occupans deinde etiam in extremitates transit, simul ac truncum usque eo occupavit, ut canalis medullaris in portione collari aut lumbali duplex fiat; monstrum tum non iam unum individuum oculis offerre videtur, sed duo individua symmetrico modo inter se coniuncta; denique duo corpora perfecta conformantur, quae uno tantum loco, quo duplicatio corporis non consummata est, inter sese cohaerent. Ubi res ad summum gradum adscendit etiam triplicatio obvenit, sed quae nunquam totum axem trunci simul accupat.

Respectu multiplicis duplicitatis monstra duplicia in tres classes principales digrediuntur, qua in distributione paene omnes autores prope conveniunt. Barkon, theoriam confusionis assectans, iu monstris duplicibus distinguit: diremtionem superiorem, diremtionem inferiorem, diremtionem superiorem et inferiorem partium duorum foetum. Leukart, qui facit monstra duplicia fissione oriri, loquitur de fissione superiore, fissione inferiore, fissione aequali et superiore et inferiore. Bernhard Schultze pariter tres formas funtamentales primitiva formatione ortas statuit: duplicitatem anticam, duplicitatem posticam, duplicitatem parallelam. Delineationibus schematicis idem demonstrat, quo modo ex una horum formarum fundamentalium omnia monstra duplicia facillime derivata esse cogitari possint. Mensura anguli, quo axes divergunt, regula est duplicitatis plus minus pro-

fundae. In antica duplicitate axis pars postica axis aut simplex est, aut certe, si axis totus est duplex, inter sese adversa et confusa. In postica duplicitate ea relatio est inversa. In parallela duplicitate semper est primitiva dispositio per totam longitudinem duplex.

In nostra re prima classis sola momentum habet, ad quam illud monstrum humanum distomum, quod supra descripsimus, pertinet. In hoc conspicitur incipiens duplicitus anticae extremitatis organorum axialium. Dolendum est, quod cerebrum hydrope ita fuit destructum, ut de duplicatione partium cerebralium diiudicari non posset. Os cuneiforme dilatatum est. Quo tale monstrum conformari potuerit, statuendum nobis est, in canali medullari duplex rudimentum loborum maxillae superioris cum processibus suis ad formandum durum palatum fuisse; porro pone processum frontalem deorsum duo dissepimenta narium crevisse. Horum cum palato coniunctio non consummata est. Primum arcum branchialem ex quo maxilla inferior et lingua procedunt, pariter duplicem fuisse existimandum est. Foveae auriculares et vesiculae oculares normales fuerunt.

Huic monstro sunt proximi, ut iam supra monuimus, Gurltii monocramus monognathus et monocramus bimandibularis; tum succedunt varii diprosopi triophthalmi, trioti, tetroti; duplicitas faciei increscit, duplicia capita uno atlante sustentantur, anticis extremitatibus axialibus admodum divergentibus proveniunt trunci duplices. Et sic mille transitus ab una forma ad aliam, mille diversitates obveniunt.

Adhuc futuro tempori reservatum est causam omnium declinationum ab ea, quam nunc normam appellamus, explorare. Ea autem in omnia tempora tenenda est ratio: nihil in natura fieri e libidine vel ludibrio, verum in abnormibus aeque atque in normalibus processibus certam valere et immutabilem legem.

Demonstratio tabularum.

Fig. I. Monstrum a fronte.

Fig. II. Monstrum a latere.

Fig. III. Superior pars faciei

a) pons inter maxillas superiores

b) maxilla superior dextra

c) maxilla superior sinistra

d) dorsum nasi

e) et f) foveae orbitales.

Fig. IV. a) Maxillae inferiores cohaerentes

b) protuberantia

c) linguae

d) cavum pharyngis

e) uvulae.

VITA.

Natus cum Ioannes Adolfus Buch die III. mensis Februarii a. h. s. XLI in urbe Saxoborussiae, cui nomen est Prettin, patre Adolfo, quem morte mihi ereptum iam multos annos lugeo, matre Sidonia e gente Schiefer.

Fidem profiteor evangelicam.

Primis litterarum elementis domi imbutus gymnasium Torgavanum, alterum Portense, tertium Vittenbergense frequentavi. Anno h. s. a. LXII abiturientium examine absoluto universitatem litterarum Marburgensem petii, ubi a prorectore illustrissimo F. L. Stegmann in civium academicorum societatem receptus nomen professus sum medicinae studiosi. Per unum tantum semestre interfui scholis Ill. Wiegand, Kolbe, Henke. Inde tempore auctumnali Wirceburgum profectus atque hic praeceptoribus usus sum doctissimis: Ill. Koelliker de anatomia systematica et artem cadavera rite dissecandi Ill. Müller iam beatus de histologia, Ill. Scherer de chemia organica, Ill. Foerster de historia medica me docuerunt.

Anno peracto Berolinum discessi in academiam Fridericam Guilelmam atque a rectore magnifico Ill. Trendelnburg civis factus academicus, a Ill. Ehrenberg, gratiosi medicorum ordinis decano spectatissimo in album medicum relatus sum. Ibidem mihi erant praeceptores Ill. Dübois Raymond, Reichert, Dove, Iuengken, Friedberg.

Deinde auctumnali tempore h. s. a. LXIV Halas Saxonum me contuli et hisce scholis per tria semestria interfui. De akiurgia et de chirurgico - ophthalmiatricis Ill. Blasius, obstetriciis Ill. Olshausen, clinicis medicis Ill. Weber me docuerunt.

Quibus illis viris optime de me meritis summas habeo, semperque habebo gratias.

Iam vero tentaminibus, quum physico tum medico examineque rigoroso rite superatis, spero fore ut dissertatione thesibusque publice defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

I. Limes certus inter animalia atque plantas nullus.

II. Methodus varicoceles curandae, quae secundum Vidal „enroulement“ nominatur, optima.

III. Teleangiectasia semper congenita.

IV. Omnia graviditatis incipientis signa sunt incerta.


I.



II.



III.



IV.

